

Q U Æ S T I O I.

An Philosophia à Philosophis rectè dicatur partus
ignorantia? Affir.

Admiratio est Philosophiæ veluti anima. Admira-
tionem illam parit ignoratio causarum, vel certè
ignoratio cohesionis causarum cum effectu, *Scal.*
ex. 1. f. 1. Causâ verâ cognitâ mens nostra acquie-
scit, nec amplius miratur effectum. Sedari autem non po-
test quamdiu causam ignorat, atq; ideo cupit istam tristi-
tiam excutere, quæ ex ignoratione causarum oritur, & admi-
rationis effectum includit. Qui enim admiratur, ait *Aristot. 1.*
Metaph. c. 2. ignorasse existimandus est. Quapropter cum ex-
cellentia ingenia suspendi nolint, & ferre nequeant ignoran-
tiam atq; tristitiam ex causarum ignoratione ortam, necessa-
riò moventur ad investigandas rerum causas; atque adeò ad
constituendam philosophiam, quæ causarum magistra est,
Arist. d. 1. & Fonseca in d. 1. q. 5. Διὰ τὸ φθύνειν, ait Philosophus, τὴν
ἀγνοίαν ἐφιλοσόφουσαν. Confer *Kecker. l. 1. præcogn. Philos. c. 4.* Iccirco
philosophari est effectorum, quæ admiramur, causas quas
ignoramus, inquirere. Ignoratio parit admirationem, ad-
miratio inquisitionem & scientiam. Sicut enim in motu phy-
sico tria consideranda sunt: terminus à quo, medium per
quod, & terminus ad quem: ita & res sese habet in discursu
philosophico. Terminus à quo est ignoratio causarum, è quâ
existit admiratio, quæ peperit philosophiam. Discursus est
ipse motus: τὸ μεταξὺ Græci vocant. Terminus ad quem est no-
titia causarum. His ita positis patet, quòd ignorantia sit mater
philosophiæ, non proximè, sed remotè & per saltum, ut lo-
quuntur in scholis; ὁ περ ἐδὲ δεῖξαι.